

D. D.

41

DECAS APHORISMORUM

De

**DOGMATIBUS
ERRONEIS**

METAPHYSICO - HYPOTHETICIS
IN PHYSICA,

Quam

Suffr. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboëns.

PRÆSIDE

Viro Maxime Reverendo atque Celeberrimo

**D^N. JOHANNE
BROWALLIO,**

S. S. Theol. Doct. ac Scient. Nat. Prof. Reg. & Ord.

PRO GRADU

Publico eruditorum examini modeste subjecit,


PETRUS SWEBILIUS

OSTROBOTNIENSIS

Die XXII. Junii Anno MDCCXLV.

Loco horisque ante meridiem solitis.

ABOÆ, Excud. JOH. KLÆMPE, Reg. Ac. Typ.



I. N. J.

APHOR. I.

STudium systemata universalia philosophica con-
dendi, ut sua laude haud defraudandum est,
quatenus ut inventarium cognitionis humanae
detectas veritates, quantum fieri poterit, apto
& naturali ordine, sive is fuerit synthe-
ticus sive analyticus, exhibet; simulque defectus co-
gnitionis nostrae ob oculos ponit; Ita accedente ridi-
cula nihil nesciendi libidine, quando lacunae & defectus
conjecturis & hypothesebus replentur, veritatum demon-
stratarum nomine superbientibus, factum hominis adau-
get, fabulis & erroribus locum concedit, veritatis ge-
nuinam inquisitionem impedit, & mille mala in fun-
dum philosophicum infert.

APHOR. II.

IN primis elucescit humani ingenii vanitas quando
ex priori, quod dicitur, rerum naturalium iudolem
explicare adgreditur; non equidem nego veritates e. g.
mathematicas & principia metaphysica, si modo genuina
fuerint, etiam in physica vera esse; sed multa tamen
obstant quo minus ex iisdem veritates physicas eruere
possi-

possimus; facillimus enim in applicatione lapsus est, cum rerum creaturarum auctores non simus; ac proinde earundem natura non ex notionibus nostris elici, sed per experientiam erui & addisci debeat. Proinde quando ex principiis metaphysicis vel mathematicis solis ad naturam rerum creaturarum argumentamur, fabulam in scientiæ formam non scientiam condimus; quippe quod ejusmodi physica prioristica non conditi, sed condendi scilicet mundi sit scientia; eo tamen vanos homines studium eminendi propellit, ut, quo videantur naturam rerum ex se ipsis intelligere, somniis suis extra ipsum statum suum vel situm creaturalem extravagentur.

APHOR. III.

HÆc autem non ita accipienda volo, ac si omnes prorsus hypotheses ex physica penitus ejicere vellem; opto tantum ut modice habitent, modeste ejusmodi conjecturæ proponantur, nec alio quam proprio & genuino caractere ac titulo insigniantur; quo in casu, licet naturam rerum vere non explicent, haud tamen omni penitus utilitate carent; cum anam & occasionem experimenta instituendi, resque penitus perscrutandi suppeditare possint; si modo apte conditæ fuerint: tamen & id probe tenendum est, quod quo magis fuerint hypothesis Physicæ universales, eo quoque minoris sunt utilitatis, eoq; majus ab iis errandi periculum; quod ex hypothesis, quæ huc usque prodierunt, elementaribus plus quam optarem patet.

APHOR. IV.

Simul tamen notatu quoque dignissimum est, quod nullæ unquam hypotheses, quantumvis docte excogitatæ, adeo ut pro veritatibus demonstratis habitæ

fuerint, ætatem ferre valuerint; quin, accedente uberiore experientia, omnia alia re ipsa obtinere deprehensa sint; irrefragabili documento quam parum valeant vires intellectus nostri, adjumentis licet Mathematicis, Methaphysicis & Logicis pulcherrime instructa, ad evolvendam apriori rerum creatarum naturam.

APHOR. V.

Systemata tamen recentiorum Philosophorum pervolventes, quam plurima exempla deprehendimus in Naturali eorundem Scientia extare talium, quas loquimur, hypotheson; nobis vero in præsentiarum sufficit nonnulla indicasse dogmata physica, quæ solis principiis metaphysicis superstructa sunt, eorundemque cum experientia rationali concordantiam vel discrepantiam brevissimis expendisse.

APHOR. VI.

DE principio indiscernibilium ejusque fundamento disputare non vacat; videmus autem inde fluere, quod differentiam inter corpus mathematicum & naturale constituent quidam philosophi in eo, quod hoc partibus constet dissimilibus; sed, ut de dissimilitudine in partibus corporis mathematici nihil dicamus, manea prorsus & incerta est hæc differentia; si enim experientiam consulimus, infinita occurrunt corpora, quorum in partibus nullam notam quæcunque perspicacia detegere potest, quæ ab aliis sibi perfecte per omnia similibus discerni possiat; cujus rei exempla luculentissima in corporibus homogeneis extant, e. g. mercurio, aqua; &c. si vero series particularum diversorum ordinum consideraverimus, adhuc major offertur verisimilitudo, dari corpora, nulla dissimilitudine,
præ

præter situm aut locum diversum, conspicua. Arenæ
bibulæ, quod in contrarium citatur, exemplum crassum
est admodum. Quod si vel maxime non darentur duo
corpora perfecte similia, quam esset tamen ridiculum,
corporis mathematici & naturalis in hoc puncto po-
nere differentiam? vix enim sufficeret millesimo cui-
que hic character, nec de plurima corporum parte
valeret, quæ aciei sensuum minus patet; cum tamen fa-
cillime alioqui a corpore mathematico, quippe quod
in solo conceptu existit, discernatur physicum, quod re
ipsa existit, cujusque natura non nudis speculationibus,
sed experientia detegenda est.

APHOR. VII.

EX principiis metaphysicis inferri solet omnimoda
plenitudo mundi & spatium omne vacuum exter-
minari; Ita Leibnitijs Epist. 4. ad Clarck. *Presumptum*
habeo, inquit, DEUM rebus omnes, quas in eis collocare po-
tuit, perfectiones extra reliquarum, quæ illis insunt, detrimen-
tum tribuisse. Jam spatium omnino vacuum animo concipia-
mus. Quod cum absque imminutione perfectionis rerum reliqua-
rum materia implere valeat: hanc quoque perfectionem indiderit
neesse est. Vacuum quapropter esse nequit, certeque sequitur,
cuncta penitissime esse repleta. Sed gratis assumit vir illustris,
quod spatium absque imminutione perfectionis rerum
reliquarum materia impleri potuit; id enim a priori
scire nobis non datum est, nec ultra eo in puncto
sapimus, quam experientia nos docuerit; illam autem
consulentes deprehendimus I:ò gravitatem esse materiæ
proportionalem, adeoque omnem materiam æque gra-
vem, ergo, cum diversa sit corporum gravitas specifi-
ca, ut plus materiæ graviori insit, minus leviori ne-
cesse

4
cesse est. Si vero hoc in puncto distinctio inter materiam propriam & alienam, constantem & interlabentem, quam examinare per brevitatem non licet, sufficere alicui visa fuerit, cogitet is quæso, anne supposita quæcunque subtilitas efficere possit, ut æqualis materiæ quantitas non æque densa reddat corpora, admissa igitur in quolibet spatio, æquali quantitate materiæ, eadem densitas ubique occurrere debet. Et profecto hic talis casus est, ubi juxta regulam NEWTONI nulla admitti debet oblectio, nisi quam experientia suppeditavit, præsertim, cum II:o vis inertix sit attributum corporis in genere; igitur, nisi adesset spatium nulla vi inertix præditum, h. e. corporibus vacuum, nullus unquam motus existere posset; eo absurdus proinde argumentum est a motu corporum contra vacuum desumptum. III:o corpora cœlestia motum continuare sine retardatione observabili constat; quod aliter evenire deberet, si vis inertix materiæ in qua moventur eorundem vi inertix æqualis esset; quo vero minor adest vis inertix, eo minus adest materiæ, eoque plus spatii vacui.

APHOR. VIII.

Similiter ex principiis metaphysicis magna cum pompa impugnatur omnis actio in distans; nulla tamen idonea adhuc allata est phænomenorum, quæ eandem arguunt, explicatio; majori igitur omnino jure, illi, qui naturam ex natura discere volunt, vim attractionis & gravitatis pro attributis corporum habent; svadentibus id ipsum phænomenis non tantum gravitationis universalis & mutux corporum cœlestium &, in specie, motus lunæ, fluxus & refluxus maris &c. sed

7
sed etiam gravitatis in corporibus terrestribus indole, phænomenis attractionis peculiaribus, atque etiam attractionis cohesionis. Quod enim in contrarium urgeri solet ex diversa directione gravitatis ad centra diversa, ut & ex variatione gravitatis in corporibus terrestribus, nihil ad rem facere quilibet facile perspicit, qui leges attractionis & gravitatis intellexerit; quæ videlicet, quoad hoc attributum æque constantes deprehenduntur ac illæ leges, quibus reliqua corporum explicantur attributa.

APHOR. IX.

Nulgæ igitur sunt, quæ de materia gravifica non gravi traduntur; quod vel ex ipsa hypotheseos hujus natura atque indole demonstrari potest; qui enim optimam viam ingredi videntur & sibi & aliis motum circularem in materia gravifica supponere necesse habuerunt, qui, sine duplici vi, centripeta videlicet & centrifuga, quarum prior ipsa gravitas est, nunquam existere poterit. Nec eorundem causam juvat, quod singant materiam gravificam, non tantum extremitati corporum adpelli sed singula corporum gravium corpuscula, versus centrum telluris propellere; licet enim eo ipso quodammodo evitare posse videntur objectionem illam contra materiam gravificam ab experientia petitam, quod causa gravitatis non pro ratione superficialium sed pro quantitate materię agat; remanet tamen in hac hypothese inexplicabile, quod vis gravitatis agat in corpus motum quacunque celeritate æque ac in quietum. Qui effectus materię externæ, sive solida sit, sive fluida, neutiquam adscribi potest. Siquidem ea necessario agat in corpus quietum omnibus suis viribus, in motum vero tantum

excessu vitium. Imo vèro temèrarium prorsus judicamus, deficiente omni omnino experientia, mente fingere velle materiam, ejusque indolem determinare, quæ DEUS & non alio modo certaphænomena producere possit; adeoque scientiam eo in puncto creatricem sibi arrogare.

APHOR. X.

Multa quidem restarent dicenda de origine corporum ex monadibus non extensis, quæ lusus est luxuriantis ingenii Leibnitiani; de essentia corporis in genere, in modo compositionis partium falso posita; de materia magnetica, elastica, ætherica aliisque similibus, quibus scatent Physicæ principiis Cosmologicis & Ontologicis superstructæ; sed, cum majorem prelixitatem non admittat præsens rerum nostrarum habitus, eadem aliorum disquisitioni relinquere cogimur; ut pauca, quæ adduximus æqui bonique consulat B. L. enixe rogantes.

S. D. G.

